DISSERTATIO

G.497.

DE

1184 c 14
3

Salute quam ferunt

ÆGROTANTIBUS

DISSERTATIONES

Archibaldi Pitcarnii.

12

Medicina ſimplex & antiqua in obſcuram & ſolertem ſcientiam verſa eſt, docemurque Diſputare non Mederi.

EDINBURGI,

EDINBURGH

DISSERTATIO

De Salute,

Quam ferunt Ægrotantibus, &c.

DISSERTATIONES quas ante annos aliquot ſeparatim, & nuper in unum congeſtas edidit. *A. P.* Vir nec ingenii acumine mediocri nec vulgari dicendi Facultate inſtructus, nonnulla Philoſopho non indigna neque Medico prorſus ſpernenda continere, nullus credo inficiabitur qui eas vel intellexerit vel iniquius de iis non pronunciaverit. Neque ego aut locum injuriæ opportunum quærere, quidquamve de nomine illo detrahere volo quod ſibi non exiguum apud Cogerrones omniumque horarum homines comparavit, & quos ad ſuas partes hi traxerunt: Id ſolum ago ut oſtendam non plus ad Curandos morbos conferre pleraque hæc inventa *Scotiæ* & *Belgii* (an *Etruriæ* potius?) Vernacula, quam ſane inutiles de Acido & Alcali, de fermentis, de diverſo Æthere, & id genus aliæ argutiis & futilibus Hypotheſibus innixæ Doctrinæ. Interim animo virum impotenti, ut ſe æquum eſt hæc laturum non dubito, qui nemini quantumvis de re Medica bene merito qui ſecum haud ſentiat, vel minimam delicti gratiam facit; Feſtivumque adeo, ut dum ſalibus facetiiſque riſum movet neque dicere quicquam penſi habeat, neque amicorum ulli parcat aut dicteriis laceſſere deſinat. Id autem mirari ſubit illum non infœcundi ingenii inter ægros eorumque miſerias jamdiu verſatum, nil præter fercula olim diſcipulis appoſita, nunc genti medicorum & orbi liberato reponere voluiſſe.

Diſputatione prima de *Circulatione ſanguinis per vaſa minima*, vana & complicata ζυμιστων & poriſtarum inſomnia evolvit, portaque emittit eburna: idque certe effecit, ut non amplius hiſce ingeniis & in-

utilibus fermentorum, Pororum, particularumque diverſæ figuræ figmentis, animos ſuos paſcant juvenes cordatiores, quod ipſi gratulor Sed quid exinde lucri ſibi adponat Medicus, aut in debellandis morbis (quod unice Medico incumbit) peritior evadat, utinam oſtendiſſet. Nulli enim quod ſciam talium fermentorum *&c.* aſſertores, aut medendi methodum aut remedia idonea ex hac doctrina eruere contendunt; id ſolum conantur ut theoriam aut hypotheſin quandam praxi, ſuo modo ita accommodarent, ut non prorſus Empirici & αφιλοσοφοι viderentur: Neque hæ Opiniones plus morborum medelæ, quam falſæ Ptolomæi vel Tychonis de Mundi ſyſtemate hypotheſes arti Navigandi officiunt. "At (inquit) poſthac facilius poterimus "dijudicare, cujus generis medicamenta ſecretioni læſæ debeant apta-"ri, poſtquam noverimus vires medicamentorum optatas pendere a "paucioribus quam hucuſque putatum eſt proprietatibus. Quid autem hic ſubſit arcani plane non percipio, neque ulli unquam Medici mihi noti, qui diureſin per Medicamenta diuretica, diaphoreſin per Diaphoretica *&c.* eſſe promovenda neſciverint.

Inter evaneſcentem arteriam & naſcentem venam nullum ſpatium aut corpus intercedere hac eadem in diſſertatione docemur, hæcque vaſa omnino eſſe continua; quod nulli novum cui Belliniana non prorſus vel ignota vel neglecta. Tota enim Bellinii de pulſibus & miſſione ſanguinis doctrina huic innititur fundamento, idque diſertis verbis explicat pag. 70. "Quia vero eo ipſo puncto temporis quo in-"truditur (loquitur de ſanguine) imprimitur impetus aliquis uni-"verſo ſanguini arteriarum, & earum ſingulæ patent in venas, nullo "obice probibente fluxum ſanguinis ex ſummis arteriis in ſummas "venas, igitur &c. Ex his paucis liquet (plura enim exſcribere non vacat) continuitatem hanc vaſorum ſanguiferorum pro fundamento recepiſſe Bellinium probationis vix indigo. Omnem porro ſecretionem per Comminutionem ſanguinis in particulas minimas dum per pulmonem fertur ſine ope fermenti fieri cum *Pitcarnio* docet initio operis de pulſibus & urinis, Theſi XXXI, Ex iis quæ ad Reſpirationem. Adeo nihil novi aut medentibus utilis, prima hac diſſertatione vir acutiſſimus attuliſſe videtur.

Diſſertatio Secunda, *Cauſas exponit diverſæ molis qua fluit ſanguis per pul-*

pulmonem natis & non natis, aut potius problematis Harvejani ſolutionem tradit, qui fiat ſc. ut fœtus in lucem editus ac membranis integris opertus & etiamnum in aqua ſua manens per horas aliquot, citra ſuffocationis peirculum ſupreſtes ſit: Idem tamen ſecundis exutus, ſi ſemel aerem intra pulmones attraxerit poſtea ne momentum quidem temporis abſque eo durare poſſit ſed confeſtim moriatur.

Prius autem quam ſolutionem aggreditur, num aer ſanguini in pulmonibus miſceatur operoſe ſatis inquirit, talemque admiſtionem rationibus ex penu Bellinii depromptis, contra Borellium, Wedelium, Bohnium, Etmulerum validiſſime oppugnat, totque opima refert ſpolia, non alio certe nomine æſtimanda quam quod ea viris principibus detraxerit. Rogarem ego an ex quo illud aut monſtrante Bellinio aut proprio marte detexerit *Pitcarnius* aliquid in praxi Medica immutarit, aut quam inde lucem ad Curandos morbos fœneretur. Non enim adeo magni ad naturam ſanguinis indagandam intereſſe exiſtimo, an aer cum chylo ſanguini illabatur, an in pulmonibus ullove alio modo illi immiſceatur, aerem autem ſanguini ineſſe inficias non ibit cui Autiliæ pneumaticæ experimenta probe nota.

Interea non aliter nec quidem diſertius Harvei problema ſolvit *Pitcarnius*, quam Thurſtonus & Borellius quorum tamen ſententiam refellit. Utque rationes mittamus quas cum Thurſtono adfert Borellius, cur fœtus in partu pulmonem primo explicet, ipſum audi diſſerentem, quare fœtus poſt exortum reſpirationem inchoet, eamque perpetuo exerceat. *Prop. CXVII Part. ſecund.* "Poſtea (inquit) concidenti-
"bus & reſilientibus coſtis, ſanguis ille qui in vaſis pulmonum contine-
"tur, inſtar torrentis intra ſiniſtrum cordis ventriculum exprimetur;
"hinc fit, ut nova & ampliſſima via ſanguinis per pulmones aperiatur,
"& ideo ceſſat uſus foraminis ovalis ſtricti & tranſverſalis, cujus oper-
"culum membranoſum clauditur ab ipſomet profluvio ſanguinis.
"Poſtea ſemel evacuatis vaſis pulmonis patet via ampliſſima & di-
"recta arteriæ pulmonaris, per quam facilius ſanguis a dextro cordis
"ventriculo eructari poteſt nec retrorſum redire poteſt ob valvulas ſe-
"milunares. ideo nec indiget, nec uti poteſt diverticulis obliquis, an-
"guſtis & difficilioribus, quare ambo neglecti ſenſim coaleſcunt &
"clauduntur. His poſitis cogitur ſanguis eandem ſemitam repetere &
"proſequi &c.

Hæc eſt Boreſlii aut Thurſtoni potius luculentiſſima problematis propoſiti ſolutio, a qua ne vel latum quod dicunt unguem diſcedit *Pitcarnius*. Verum quidem eſt Prop. ſequenti, quæ problematis Harvejani ſolutionem præ ſe fert, cauſam tantum finalem iſtius phænomeni in reſpiratione nati & non nati, adduxiſſe Borellium; at hoc nullo alio intuitu, quam ut admaţam ſuam, de motu ſanguinis oſcillatorio, hypotheſin ſtabiliret; quæ an vera an falſa non multum ex re medica eſt noviſſe: Phyſicam autem, quam vocant, prorſus eandem quam *Pitcarnius*, Prop. præcedenti docuerat ut hactenus oſtendi. Quem reſpirandi denique finem aut uſum tradit noſter hic, ut ſc. comminueretur ſanguis & ſine fermentorum ope ſecretiones peragantur, is ipſe eſt quem Bellinius, quodque nec in diſſertatione hac diffitetur vir Candidus. Quid itaque hic novi aut utilis? In promptu ex ipſa diſſertatione reſponſio ſect. ultima. "Atque hæc eo fine conſcripſi ut "oſtenderem medicinæ ſtudioſis utilitatem regulæ initio diſſertationis "hujus memoratæ. (*i. e.*) Nunquam tentanda eſt problematis ſol-"utio per poſtulata multa & ſubſidio theorematum non evidentium, "quæ facile poteſt exhiberi per poſtulata pauca & ſubſidio theorematis "evidentis. Aut vocibus immutatis, fruſtra fit per plura quod fieri poteſt per pauciora; Bellum, hercle, inventum & ſuggeſtu profeſſorio dignum!

Hactenus ut videtur difficillima, de nutritione animali, & ratione coquendi aut digerendi cibi in ventriculo quæſtio, phyſiologorum ſpes eluſerat & Conamina; pleroſque enim ipſo in limine cæſpitaſſe viro perſpicaci ideo viſum quod neſcirent|quidnam quæreretur; *Non enim quæritur cauſa valens omnia corpora* (lapides v. g. metalla &c.) *mutare in fluidum ſanguini commiſcible* (cum hoc nuſquam gentium fiat, quodque forſan phyſiologos fuiſſe ſuſpicatos veretur) *ſed ſolum cauſa valens, corpora quædam quibus ſolis homines veſci ſolent & ali in humorem circulationi aptum convertere.* His præmiſſis quæſtionis aut problematis ſolutionem aggreditur diſſertatione tertia, *De motu quo cibi in ventriculo rediguntur ad formam ſanguini reficiendo idoneam.* At enim quamplurimos cerno idiomati *Pitcarniano* & loquendi mori geometrico minus aſſuetos, non tam facile quid ſibi velit vir mathematicus eruituros, quapropter paucis nec ab illius ſententia vel tantillum diſcrepantibus

Cum continenter ex carnibus nervis, membranis, tendinibus & ossibus animalis nedum ex fluoribus, particulæ aliquæ dissolvantur, transpirent & in auras abeant, remanere debent cavitates exinanitæ in eisdem locis ex quibus illæ discesserunt. In his postea sanguis vehementer impulsus a Corde, & a constrictione arteriarum, eodem rapido motu quo impelluntur, incuneari possunt intra foraminula prædicta. Verum non possunt quælibet sanguinis particulæ indiscriminatim intra quælibet foramina insinuari, sed coguntur aliquæ determinatæ excipi in correspondentibus foraminibus; sc. osseis similes in poris osseis, carneæ in carneis &c. Hinc fit ut assumente qualibet parte analogum & sibi conforme nutrimentum, præclare refectio & nutritio perfici possit.

Num quid autem præterea de Nutritione Animali doceat *Pitcarnius*, ipsum testor æquosque lectores. At vero hæc ipsissima *Joh. Alph. Borellii verba Cap. XVI. Prop. CCI. Part. secundæ. Qui prop. CLXXXIX.* Nihil aliud requiri, ut cibaria ingesta in Chylum aut formam sauguini reficiendo idoneam redigantur, ostendit, quam ut eorum particulæ componentes novo ordine, situ, positura & configuratione disponantur diversimode ac prius compositæ fuerunt. Hoc autem fieri non potest nisi universum corpus concretum scindatur, subdividaturque in minutissimas particulas nutritioni aptas. Hanc autem partitionem fieri ab actione dentium incisoriarum & molarium, ventriculi &c. postea demonstrat. Sed ut verbo dicam hæc ipsa est de digestione aut actione ventriculi doctrina ante bis Mille annos ab Erasistrato, *Aristotelis* ex filia nepote, ventilata; quamque ante *Pitcarnii* editam dissertationem dilucide satis explicuerat *Andr. Broun* primo lingua sua vernacula *Sched. Vind. Sect. IX.* Et postea latine *Tentam. Theoret. Pract. Pag. XIX.* Neque hoc virum candidum, Edinburgi tunc commorantem ubi *Andr. Broun* liber fuit impressus, latuisse probabile. Nec denique actionem hanc seu attritionem ventriculi penitus rejicit *Bohnius* ut vult *Pitcarnius*, in loco enim *Circuli Anatom.* ad refutandum citato, hæc habet. "Denique nec sine "attritione seu pistura hæc contingere Erasistrato largior, dum ven- "triculus, non tantum per tunicam suam carneam, modo constringi- "tur modo laxatur, sed ab abdominis musculorum & diaphragmatis, "motibus reciprocis per intervalla comprimitur, hocque motu pressu- [illegible] miscet exagitat &c.

Sed forſan mirabere magis omni ſine irrigante liquido cibos poſſe concoqui, potumque ad opus digeſtionis pro ſupervacaneo ac inutili a viro Clariſs. haberi, quod tamen nulli poſt verba ſubjecta dubium erit. " Manifeſtum eſt (inquit) eſſe hanc facillimam & ſimpliciſſi-" mam rationem ſolvendi quæſtionem propoſitam, quoniam hac fit ut " ſolida aſſumpta liqueſcant facile in ventriculo abſque opera illabentis " fluidi, & tamen præter fluorem minima cibo (ab animali quippe " deſumpto) mutatio inducatur, quæ nutritioni celebrandæ fiat idoneus. Mirum hoc ſane & totum quod affert novi integra diſſertatio: At quorſum jugis ſalivæ deglutitio? quæ dormientibus nec de illa vel minimum cogitantibus continuo fit, quæque iis maxima crux qui Angina vel faucium inflammatione torquentur; Non certe ſine neceſſitate quadam hoc contingere, vel ut actioni ventriculi oneri ſit, veriſimile; ſed cur ſiti exareſcimus aut quæ veſana bibendi cupido ſi nihil ad digeſtionem?

Interim ne quid utile reticeamus ex diſſertatione hac elicitum, concludit primo, acidos liquores & etiam ſalſos ſi nimia copia ingerantur impedituros coctionem; Secundo, Melius abſolvi coctionem ſi accedit lenis & placida deambulatio, aut Corporis recreatio non laborioſa poſt cibum aſſumtptum; Neque dormientibus æque laudatam contingere ac vigilantibus concoctionem aut ut breviter *Johannes de Mediolano*

———————— *Sed plus deſiccat Acetum*

Frigidat Emaciatque.

Et ———————— *Non ſit tibi vanum*

Surgere poſt Epulas ſomnum fuge Meridianum.

eoque certe nos ſibi devinxit beneficio Vir φιλανθρωπος. ne poſthac auctoritate *Scholæ Salerni* ſed ipſo demonſtrante verſiculorum iſtorum veritas innoteſcat.

Diſſertatio *de Circulatione Sanguinis in animalibus genitis & nongenitis* Problema *De Inventoribus* proxime inſequitur, cujus problematis quam tradit ſolutionem utpote nihil ad rem medicam, in medio relinquo. Nec quæſtionem quam ope theorematum ſuorum excutien-

dam ſuſcipit, *Num* ſciz. *Sanguinis circuitus* Hippocrati *fuerit notus*, magni ducendam puto: Hujus etenim auctor quiſnam primus an *Solomon*, an *Hippocrates*, an *Servetus*, an *Realdus Columbus*, an *Andreas Cæſalpinus*, an *Gulielmus Harvæus*, (hiſce enim ſingulis memorandum inventum tribuerunt interpretes) Medici vix intereſt pro certo comperiſſe. Mirorque ego præfervidi virum ingenii, tam prolixe id proſequi voluiſſe, quod vix quiſquam ſanæ mentis aſſereret cui Hippocratis opera vel ſemel inſpecta.

Initio Diſſertationis generi humano, quod ejuſdem natales repetat a Jove ſummo, gratulatur: Nullum enim unquam animal Mechanice produci potuiſſe (quod hactenus alii Bellinus *v. g.* Malebranchius *&c.*) demonſtrat, & exinde, *liquorem a mare deciduum utero ovoque fœmineo animal inferre circulatione ſanguinis, atque vitæ munere jam ante potitum*, concludit: Quam vere autem non abs re erit paucis expendere.

Norunt omnes Philoſophi, quique mente Deos adierunt, quam congruenti tenore, ſimilique prorſus ratione & operandi modo in ejuſdem generis productis procedat uniformis natura: Norunt & hi generationem omnium omnino animalium, non ſolum viviparorum & oviparorum, ſed & ἀιτοκινήτων & φυτίκων, plane eſſe analogam, omniaque illa ex ovo produci. Neque aliam, inter vivipara & ovipara intercedere differentiam, quam quod illorum fœtus in ovo contentus, in ipſius uteri cavitate, primo liquore *Amnii*, dein ope vaſorum umbilicalium ab utero materno nutriatur: Horum autem ovum fœtum aut pullum includens, extra uterum foveri & incubari, Amnii liquore ut in viviparis primo in Nutrimentum cedente, poſtea albuminibus & vitello uteri & lactis, ſubſidio prædictorum vaſorum vicem ſupplentibus. Nec quod mirandum magis, modo adeo diſpari in ipſorum inſectorum generatione procedit natura ac vulgo creditum; cum enim horum ova neque in utero nutriantur, nec albuminum & vitelli apparatu, ad fœtus contenti nutritionem inſtruantur, ideo proviſum, ut rupto cortice exteriore, ipſum ovum obambulet victum quæritans, hocque eſt ovum illud repens quod *Galbam* vel *Erucam* vocamus; quæque non prius animalis perfecti vicem ſortitur quam in juſtam magnitudinem adaucta, reliquiſque integumentis eroſis, *Muſca* nunc aut *Papilio* erumpat. Fœtuum interim tum viviparorum tum oviparorum primordia ad galbam aut erucam tanta ſimilitudine accedunt ut non ovum ovo ſi-

neratione, natura operatur. Hocque ratum ita & ſtabile, ut quamcunque doctrinam huic adverſam aliquis protulerit, falſam illico & abſurdam, nedum dubiam & precariam aſſerere vix ſit hærendum.

Sed & plantarum ſemen eſſe ovum fœtum continens omnibus ſuis partibus compaginatum, demonſtrat oculatiſſimus Malpighius; neque magis Mechanice poſſe produci plantam quam animal perfectiſſimum, hujuſque proinde & genus ducendum a Jove ſummo, ipſumque olitorem & quæ vendit olera ab eadem proſapia eſſe oriunda. Nullum autem animalculum aut plantulam a mare deciduam, hic agnoſcet *Pitcarnius*; quæ enim de ſexu plantarum nugantur Botanici, inepta eſſe illi proculdubio patet. Atenim miror non æque patuiſſe in ovo ſubventaneo aut hypenemio illo. *viz.* quod aura maris ſeminalis non afflavit ideoque infœcundo, cicatriculam aut ipſius pulli rudimenta, in illo pariter ac in ovo fœcundo reperiri, teſtibus Malpighio aliiſque; hancque propterea non a Mare deciduam ſed in ovo præexiſtere. Qui autem hæc ſeminis maſculi vis plaſtica operetur, aut ſpiritum Cicatriculæ inſitum in actum educat, primoque puncti ſalientis aut cordis contractionem celebret, quæque omni procul dubio ſanguinis ex ventriculis protruſionem præcedere debuit, id Jovi ipſi, & ſi qui ſint, qui ſupremo ordine conſurgunt cœlicolis unice notum, quodque adeo a viſibus humanis ſemotum, ut nec oculis pectoris unquam hauriamus.

Neque me latet experimentum Levenhoekii, qui perſpicilli ope ſe Myriades homuncionum aut gyrinorum potius, in ſemine Maſculo quaquaverſum & celerrime natantium, vidiſſe ſomniaverat, quæque objecta oculis ſpecies, hercle, non alia eſt, quam particularum liquoris ſeminalis, in liquamen tenuius fatiſcentis lucta & diſtractio. Mitto labores pluſquam Herculeos & itinera tortuoſa Jovis huic proli ſuperanda, antequam γυρινοτροφιον ſuum aut ovum attingere poſſit; cum nullum unquam, in utero immediate etiam poſt coitum aperto, veſtigium liquoris ſeminalis, nedum in ovario reperire potuit diligentiſſimus Harvæus, cujus vid. *Exercit. de generatione cervarum & damarum.* De his enim non heic plura Diſputandi locus. Mirum autem quantum ἐκ Καινοτημιας delirent homines.

Hujus autem Diſſertationis parte longe maxima explicandi veniunt affectus ſoporoſi, viſque Opii narcotica & qui ſomnus peragatur, hæc enim omnia eodem ritu fieri vult, ut ex ipſa Diſſertatione patet: &

ſtrat, quod " In omni morbo cujus phænomena æque poſſunt oriri a
" motu liquidi in arteriis impedito, ac a motu liquidi per Nervos ve-
" naſque ſublato, ſemper putandum ſit potius peccari intra arterias,
" quam intra nervos & venas. Quod certe primo intuitu veriſſimum,
at quo ſubſidio medenti veniat oſtende quæſo *Pitcarni* mi; Non enim
ex hoc noto aut locum mittendi ſanguinis immutas aliove modo veter-
num excutis quam quidem Williſius, Sylvius cæterique quorum ſen-
tentias aſpernaris; ſtimulantia enim & evacuantia non reſpuunt hi
plus quam tumetipſe, quorumque hiſce in morbis uſus non fælicius a te
quam ab illis monſtratur. At inquies, rem arduam & hactenus inelu-
ctabilem ſuperavi, ſomnum nempe opiique in eo arceſſendo vim ex-
plicui, rurſuſque *Jovi Feretrio* ſpolia tuli. Verum ne hoc quidem;
Compreſſio enim nervorum a tumeſcentibus arteriis, quaque ſpiritu-
um per hos trajectus impeditur, ſomni tum arte tum natura arceſſiti,
ſecundum tuam doctrinam cauſa unica, Morbidi quid ſapit nec quidem
prima fronte arridet. Videtur potius ſomnum (de naturali loquor)
eſſe remiſſionem quandam villorum, iſtorum præcipue muſculorum, qui-
bus cum Antagoniſtis lucta perpetua quique vigilantibus tenduntur &
ſpiritibus trajiciendis patent, neque alio modo animal a ſomno reſici,
quam quod tunc temporis ſpiritus functionibus animalibus unice va-
cent, quod animali vigilanti longe aliter contingit, diſtractis nimirum
ad multos labores ſpiritibus; ideoque animal ad ſomnum proclivius
poſt vires longa defatigatione exinanitas & cibum aſſumptum, quod
omnibus muniis obeundis cum non ſuppetant ſpiritus, ad ea præcipue
avocentur quibus potiſſimum natura indiget, quapropter remitti vil-
los ſpontanei motus miniſtros, contrahi & concidere animum oporte-
re, ſomnumqe arctiorem complecti. At enim ex tua theoria non vi-
deo quomodo de via aut laboribus feſſi membra ſua ſomno levent; ſe-
cundum enim hanc, rareſcentia ſanguinis qua arteriæ comprimentes
intumeſcunt, vel repletione fit, vel ſpirituoſis narcoticiſve ingeſtis;
defatigatis vero non perinde, quibus ſc. ab aſſumpto cibo nondum re-
fectus ſanguis cum tempore ad hoc opus ſit, ita ut his plus ad ſomnum
conciliandum præſtare exinanitionem quam repletionem, luce Meri-
diana clarius, adeoque tota tua hæc corruit ſententia.

Interim non nego ab arteriis in cerebro tumentibus vel a rareſcente
ſanguine, vel a cauſa quavis alia obſtruente præclare explicatum

rum compreſſione morbos Capitis omnes explicuiſſe amiciſſimum tuum *Bellinium* qui ſc. te propter candorem loco Numinis habet Patet igitur ex his omnibus (ſunt verba *Bellinii pag.* 441. *de Apopl.*) "Provenire debere Apoplexiam a quacunque cauſa ita "premente cerebrum, ut per conſtrictionem ab ipſa provenientem, "impediantur undæ nervorum, quibus ſentimus, & naturalis fluxus "liquidi per nervos in muſculos. Sive igitur comprimens illud "ſit liquidum, ſive durum, calidum aut frigidum, in vaſis aut extra "vaſa, cujuſcumque demum generis aut qualitatis, producet ſemper "apoplexiam, ſicut etiam ſive ſit in ventriculis cerebri, ſive in "ipſo ejus corpore aut ſuperficie, dummodo talis ſit compreſſionis "quæ expoſitas naturales affectiones impediat. Itaque primo ſi vaſa "piam matrem intexentia infarciantur ita ut extendantur ad ſpatium "naturali majus, unde totum cerebrum premant validius, expoſita "omnia contingent &c.

At Compreſſio nervorum a tumidis aut inflatis arteriis quam ſolam ſtatuis horum affectuum cauſam, caſus eſt tantum unicus compreſſionis Bellinianæ a qua via ſpirituum occluditur, a multis enim aliis etiam extra vaſa ſitis, comprimi poſſe nervos, ex hiſce paucis Bellinii liquet. Nil itaque hic novum quod verum, e contra, veriſſimam & generalem Bellinii doctrinam tu non ſolum in anguſtum cogis ſed plane truncam & mutilam reddis. At interim caviſti (nil etenim ſupprimo) ne intempeſtivo ſalium volatilium & Cephalicorum uſu jugulent homines, medici male ſeduli; affideret enim inſano qui illis ipſis remediis veternum excutere tentaverit, quibus ingeſtis rareſcentia ſanguinis veternum inducens contingeret. Quinam autem ſunt hi amabo, a quibus tantam generis humani jacturam metuis, totius enim horum morborum medelæ cardo fere in evacuationibus vertitur, ſuffragantibus omnibus quoad ſciam Medicis celebrioribus. Quique ſalia volatilia adhibent, tam parca hæc manu ut non ſit quod adeo te angas animi; Cum enim te confitente ſexaginta ſalis volatilis grana, vix opii granum unicum adæquent, quid damni adlatura ſint grana paucula (ultra enim, hoc in caſu vix dantur) ſupputandum tibi relinquo. Hæc autem ſtimulantibus tantum accenſita, acredine qua pollent pungente plus ſpiritus excitabunt & ad motum impigros efficient, quam [illegible] ſanguinis vi, hiſque obicem ponendo noxam inferent:

OEcononiam & operationes animalis præcipue ſpectantia hactenus examinavimus: videamus nunc quantus in morbum aſſurgat vir profeſſorius gentis ſuæ & ſæculi ornamentum, aut quod ferat auxilium in profligandis febribus Diſſertatio penultima *De Curat. febrium quæ per evacuationes inſtituitur.*

Initio diſſertationis, num ulla inſtituenda ſit evacuatio ambigitur; *ſolum enim inquiritur, quænam evacuatio vel ſecretio deberet eligi in curandis febribus, ſi ulla foret eligenda.* At quod dubium! Si medius fidius febri correpto ſine evacuatione ſponderet ſalutem ipſe Juppiter auctor, non crederem: Quicquid enim illud ſit quod cauſa febrem continens vocatur, an Miaſma, an viſcidum quid glandulas infarciens, nil refert; hoc inquam eliminandum, neque unquam aliter aut artem aut naturam hiſce morbis poſſe mederi; humores enim noxios & lethiferos in Landabiles & innoxios mutare (non loquor de iis qui in primis viis continentur) ipſa eſt infauſta mortalibus cantilena, quam occinunt circulatores & qui de corio humano impune ludunt; quam tamen *Pitcarnii* neque aſſero, nec qua incuria hoc dubium exciderit video. Præcipitantia enim quæ vocant & attenuantia; inter evacuantia repono, utpote quæ per diureſin aut Diaphoreſin materiam morbificam deturbant, quod nulli ignotum reor, cui medicamentorum operationes diligentius perpenſæ. Sed hæc fuſius explicare alterius forſan erit loci; Hoc autem præterire nolui, ne ſummi viri auctoritate adducti medici juniores aliquando non inſtituendam evacuationem putarent quod ab ipſius mente alienum autumo.

Ex aphoriſmis *Sanctorii de ſtatica medicina* quam plerumque ad ſe invicem ſervant rationem excretiones quæ fiunt per alvum, per veſicam & per cutim indicatur. *Atque hinc patet perſpirationem eſſe ſecretionem aliarum, ſummæ duplam*; ideoque concludit citius morbum ſublatum iri evacuatione facta per poros cutis, quam alia quacunque ſecretione, idque in ſecretionum ratione expoſita. Interea demonſtrat Bellinius (& is quoque pingui ingenio qui *Pitcarnium* unicum artis & gentis ſuæ ornamentum ſuſpicit, quique Borellii & Bellinii de febribus doctrinam, barbaro idomate ſub titulo *Theoriæ novæ febrium continuarum*, non ita pridem edidit) febrem quæque ipſum comitantur ſymptomata non aliunde provenire quam a glandularum infarctu & obſtructione quacunque demum cauſa hoc contingat. At cum hoc in glandulis majoribus canalibuſque amplioribus fiat, qui *Pitcarni*

dularum, ſudoris ſecretioni deſtinatarum meatus amandabis? Si etenim ampliores illas reſerare nequeas, quod, quæſo, eſt hoc *Medicamentum utile*, quo exhibito illico in data ratione augebitur excretio cutanea, ipſum enim illud eſt quod tantopere deſideramus, cujuſque tu non magis compos, quam tuus ille ſuſpector admiratorque aut quivis in arte medica inexercitatiſſimus; id neque temere conjicio, nuſquam enim aut nunc aut olim forſan unquam reperietur.

Diaphoreticis autem vulgaribus exhibitis, excandeſcere febrem, omniaque in pejus ruere te non latet, peſſimo igitur conſilio hæc dares nec niſi declinante morbo cum ſc. res nunc fuerit in vado; eouſque autem minime expectandum in morbo qui nullas aut breviſſimas det inducias, ne ſero medicina pararetur & in peſſum iret animal, antequam aut meatus glandularum obſtructi reſerentur, aut materiæ obſtruentis digeſtio aut Comminutio fiat. Quin potius incipiente & progrediente morbo, fomes ejus emeticis idoneis iiſque repetitis eſt averruncandus, hiſce etenim exprimuntur & eliminantur humores noxii quibus ſcatent ampliſſimæ & longe patentiores primarum viarum glandulæ, quo facto ne ulterius ſerpat malum aut inquinetur ſanguis præcavebitur, pabulumque aut nova materia obſtruens febri intercludetur, citiuſque ſordes obſtruentes a circulantibus humoribus eluentur. At ego nec te vomitionem hiſce in morbis reſpuere, quam tu ipſe, ſecundo diſſertationis paragrapho, probas: Vomendi autem utilitatem hæc tua non ſolum non demonſtrant, aſt potius redarguunt, hocque ſolo paralogiſmo, quod ſupponas quoſlibet humores a quibuſvis glandulis auctis poſſe ſecerni; quod forſan verum. At oportuit demonſtraſſe glandulas Miliares ſtrictiſſimas, æque cito poſſe recludi a Medicamento tuo utili ac patentiores, ventriculi, Hepatis, Pancreatis, Meſenterii, Inteſtinorum &c. Ab ingeſtis emeticis & purgantibus; Neque alio in caſu pro te faciunt Hugenii in ludo aleæ ratiocinia: Antequam enim aut materia obſtruens digeratur, aut Glandulæ cutaneæ augeantur, metus eſt ne omnino ſanguinis motus præpediatur, aut verbo, homo intereat, cujus tu vitam hac doctrina, in periculoſiſſimam aleam conjicis.

Notare autem hic liceat rudis ac Impediti auctoris inſolentiam, illius ſc. qui renitente natura *Theoriam novam Febrium* nuper conſcripſit & ſecundum edidit; qui non verbo violatus, non ulla laceſſitus injuria, contumelioſe & inurbane in eum ultro invehitur qui paucis abhinc an-

nis vomendi utilitatem in curatione Febrium illis argumentis potiſſimum tuebatur, quæ maxime pro data occaſione e re forent. Longam enim de OEconomia animali & cauſis febrium ſerere fabulam, ab ejus propoſito fuit alienum, quod in opuſculi tunc editi limine præmonuerat; id ſolum in animo habebat, utiliſſimum remedii genus ab imperito vulgo propter novitatem damnatum, ab omni ævo optimis Medicis uſurpatum fuiſſe oſtendere; ideoque illorum ſententias præcipue adduxiſſe quorum nomina, etiam per ora vulgi ferebantur. Quod ſi altius & a Capite rem repetere voluiſſet, Medicinæ & Anatomices ignaris incaſſum errorem demere tentaſſet, quod ſolum Meditabatur; at iſtum non amplius moror.

Quod ſupereſt Diſſertationis, theorema Bellinianum explicat & demonſtrat, "Univerſam ſc. quantitatem perſpirationis ex villo cujus "pondus eſt ſcrupulus, ſingulis minutis primis erumpentem; eſſe Milleſimam ducenteſimam ſcrupuli partem; pronus adeo in difficiliora hæc καὶ τὰ σκληρα labitur vir argutiſſimus. Solutionis interim hujus rationem, rectiſſime tum initam tum ſubductam, nulli puto attenti negabunt. ſi quoſdam excipias qui hæc omnia nullo alio nomine carpant quam quod *Pitcarnii* inſcribantur. At certe non operæ plus præſtat in curatione febrium aut alius cujuſvis morbi, Theorematis hujus ſolutio, quam ipſa *Corpora Alcalica & acida* quæ hactenus in Medicina fuiſſe inutilia demonſtrat, Diſſertatione ultima.

Interea non hæc ita intelligi velim quaſi Mathematicas diſciplinas in ſtudio Medicinæ floccifacerem; non enim adeo ἀγεωμετρήτος ego ut harum utilitatem neſciam quem ſc. cum *Pitcarnio* miſerrime nunc tædeat nugarum quibus Medicina noſtra Ciſalpina ſcatet: Quid enim in libris eorum qui his non imbuti, animalis ſtructuram, ejuſque operationes explicare audent, præter voces rerum inopes verborumque ſonitus nulla ſubjecta ſcientia, invenies? Quod certe aliunde non provenit quam ab harum imperitia, quæque Phyſiologiæ ſtudioſis unicus eſt ſcopulus, aut verius naufragium. At vero difficile adeo eſt atque indeterminatum, curandi morbum problema, ut quicquid ex Geometricis ad hoc trahitur, non milleſimam conditionum partem expleat; ita ut qui his nimium fiſus aliiſque potioribus neglectis, artem ſalutis humanæ præſidem, exercere ſtudeat, *Is demum caſu, non arte medeatur.*

B 91